

Hab. in regione montanâ superiori montis *Aslan dach Cappadociae* cl. Balansa.

Planta 6-9 pollicaris, folia radicalia cum petiolo 5 pollices longa pollicem lata, caulina etiam lata. Valdè *C. ramosissimæ* DC. affinis. Hæc tamen sat differre videtur caule ramosiori, foliis caulinis angustioribus profundius et longius spinoso-lobatis, involucri phyllis inferioribus brevissimè spinosis.

COUSINIA CIRSIOIDES Boiss. et Balansa.

C. pumila caulibus lanatis apice breviter et corymbosè ramosis ramisque ad apicem usquè foliosis, radicis collo lanato, foliis supra hirsutis subtus albo-lanatis pinnatisectis rachide latiusculâ parcè spinulosâ laciniis lanceolatis in spinam tamen abeuntibus integris vel spinulis 1-2 lateralibus auctis, foliis summis lanceolato-linearibus spinulosis capitula sæpè subæquantibus, capitulis ovatis, involucri laxè lanati squamis angustè lanceolatis longè subulatis carinatis præter lanam scabridulis inferioribus erecto-patulis paulò brevioribus cæteris erectis, corollâ flavescenti, tubo antherarum roseo.

Hab. ad *Bereketly Cappadociae* alt. 1500 metr. cl. Balansa. Floret Septembri.

Planta 6-9 pollicaris, folia 4-5 pollices longa pollicem lata, capitula magnitudinis eorum *C. serratuloidis* Boiss. = *Oliverii* J. et Sp. Affinis *C. crispæ* J. et Sp. caule gracili, pedunculis elongatis nudiusculis, involucri phyllis minùs tenuibus brevius acerosis et squarroso-subpatulis valdè diversæ.

CICHORACEÆ

LAMPSANA ALPINA Boiss. et Balansa.

L. perennis pluricaulis, caulibus pumilis dichotomè et parcè ramosis ramisque patulè glanduloso-pilosis, foliis radicalibus numerosis caulinisque inferioribus longè petiolatis lyratis, lobis lateralibus 2-6 oblongo-lanceolatis vel ovatis angulatis parvis ter-

minali multò majori e basi subcordatâ triangulari-ovato acuto acutiusculè dentato, foliis caulinis superioribus lanceolatis acuminatis denticulatis omnibus patulè glanduloso-hirtis, pedunculis nudis capitulo longioribus, involucri basi breviter calyculati nigri phyllis lanceolatis acutiusculis medio dorso glanduloso-pilosis cæterùm glabris, floribus croceis involucro duplò longioribus.

Hab. in regione alpinâ montis *Aslan dach Antitauri* in *Cappadociâ* cl. Balansa. Floret Augusto ineunte.

Planta 8-10 pollicaris, radis præmorsa, folia radicalia cum petiolo 5-6 pollicaria lobo terminali pollicem longo latoque. Capitula magnitudinis eorum *L. grandifloræ* a quâ foliorum formâ, caule humili oligocephalo, inflorescentiâ valdè glandulosâ differt. *L. adenophora* differt radice annuâ, foliis superioribus multò latioribus, capitulis minoribus, etc.

SCORZONERA LASIOSPORA Boiss. et Balansa. (Sect. *Lasiospora*.)

Sc. pluricaulis, caulibus erectis elatis foliosis infernè adpressè sericeis supernè glabrescentibus longè thyrsoido-paniculatis, paniculæ ramis strictis 1-3 floris sæpè elongatis, foliis glabrescentibus lanceolatis acuminatis basi attenuatis 5-7 nerviis erectopatulis rameis brevibus trinerviis angustissimis, capitulis longè pedunculatis abbreviatis, involucri phyllis parcè velutinis inferioribus triplò brevioribus triangulari-lanceolatis acuminatis mucrone patenti-recurvo, interioribus lanceolato-linearibus flosculis luteis paulò brevioribus, acheniis densè et longè lanatis pappo ad apicem usquè plumoso denso eis æquilongo superatis.

Hab. in monte *Alidagh Cappadociæ* propè *Cæsaream* cl. Balansa. Fl. Julio.

Planta bipedalis, panicula pedalis vel longior, folia inferiora 4-6 lineas longa. Capitula florifera 8 lineas circ. longa. Achenia cum pappo 8-9 lineas longa. Affinis *Sc. Aucherianæ* DC. cujus specimina juniora tantùm exstant sed quæ differre videtur indumento adpressè velutino totius plantæ, staturâ 5 pollicari, capitulis etiam peractâ anthesi 4 lineas tantùm longis.